



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Devs non indiget operibus nostris, quomodo falsè exponitur. tit. 26

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

## 96 SVMMA DOCTR. CHRIST.

oratione, eleemosyna, Matth.6. Item sermonem de decem præceptis, Exod.20. Matth.19. repetit illa. Secundò, frustra docuit Paulus i. Corinth.6. Ephes.5. Galat.5. Romanor.8. quòd opera carnis impediunt ingressum salutis. Item, Cur corpus punitur morte, infirmitatibus varijs & miserijs, si Deus non curat opera, nec vitam? Romanor.8. Corpus corrumpitur propter peccatum, falsum est ergò, quod dicunt sectæ & cætera.

*DEVS NON IN DIGET  
operibus nostris, quomodo fal-  
sè exponitur.*

## TITVLVS X X V I.



RImò, sectæ in derogationem bonorum operum, vt statuant solam fidem inquiunt: Propheta dicit Psal. 15. Bonorum meorum non indiges Domine. Ideò rejicit Deus omnia opera nostra, qualiacunque etiam sint, neque opus his habemus, sed tantùm sola fides sufficit absque omni additamento operum: vltra hoc, sunt etiam opera nostra, sicut pannus immundus, sicut propheta dicit, Esai. 64. Omnia opera nostra vt pannus menstruatæ. Et Iob 9. dicit: Verebar omnia opera mea, &c.

Secundò, Hic primò notare oportet, quid propriæ sint & dicantur nostra opera. Deinde, quid Dei sint opera, quæ in nobis operatur. Primò, nostra opera vocat scriptura, quæ facimus nobisipsis & nostræ carni & corpori voluptatis causa, quemadmodum sunt opera carnis, enumerata à Paulo, Gala.5. vti adulterium, scortatio, comedatio, lites, rixæ, ebrietas, &cæt, hæc sunt propria opera carnis nostræ, & vocantur opera nostra propriæ. Secundò, sunt opera, quæ non nos ex nobis, sed Deus per nos operatur, quæ sunt Dei

Dei opera, vt sunt fructus Spiritus. Galat. 5. vt charitas, pax, patientia, timor, fides, modestia, obedientia legis, oratio, ieiunium, castitas, &cæt. omnium illorum operum author est Deus, id est, Spiritus sanctus. Nam nos non sumus sufficientes aliquid boni cogitare ex nobis, tanquam ex nobis, 2. Cor. 5. Et sic dicit Apostolus 1. Cor. 4. Quid habes quod non accepisti? Ideò hæc opera propriæ nō sunt nostra opera, sed Dei, quia Deus operatur illa. Deus autem quia illis non indiget, ideò donat ea nobis ad nostram utilitatem. Roman. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Ideò oportet diligenter animaduertere & considerare, quomodo accipiatur hoc verbum, Opera nostra, &c.

Tertiò, hæc verba, Deus non indiget nostris operibus, dupliciter intelliguntur: Primò, Deum non opus habere nostris operibus, vt per ea vel potentior, vel dition, omnipotenter, iustior, sapientior, prudenter fiat, quia perfectè est omni potens, iustus, &cæt. ita vt ei nihil magis adjici possit. Matthæi 5. Estote perfecti, sicut & Deus pater vester cœlestis perfectus est. Alio modo sic potest intelligi, Deus non indiget nostris operibus, id est, laude, honore, gloria. Et sic est falsum. Nam Christus docuit Matth. 6. orare quotidiè, vt nomen Dei sanctificetur, honoretur, non maledicatur, Exod. 20. & Matthæi 5. Sic luceant opera vestra, vt glorificant patrem vestrum, qui in cœlis est, &cæt. Si non vult D E V S à nobis glorificari, cur donat fidem, gratiam, bona opera? Vnde Malach. 1. filius honorat patrem, & seruus Dominum suum. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? Et si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Et Lucae 6. Quid vocatis me, Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis? Cur iubet se inuocari vel adorari, Psalm. di cente: Inuoca me in die tribulationis &c. Ergo vel nō reddendus est debitus Deo & conueniens honor, vel

G g 3      opera

opera nostra, quæ in laudem Dei præstantur, non oportet reijcere. Ad quid admonet scriptura, vt laudemus Deum, dicente Psalmista, Laudate Dominum omnes gentes? Paulus Phil. 1. Repleti fructu iustitiae ad laudem Dei. Eph. 1. vt laudetur gloria gratiæ suæ. Et 1. Theffal. 5. In omnibus gratias agite. Ergo Deus non indiget operibus nostris ad suam utilitatem, sed ad nostram: sunt enim talenta Dei bona opera, quibus nostrum commodum procurare debemus & præmium, Matth. 25.

Ipse vult vt sibi honor detur, vt eum suis donis & operibus glorificemus, laudemus, gratias agamus, eum pro Deo solo & vero agnoscamus, & quem misit filium suum, Ioan. 17. Præmium autem operum nobis solùm vult imputare, licet ex gratia nobiscum agat, & Spiritus sanctus principale agens sit, 1. Cor. 15. Non ego, sed gratia Dei mecum, attamen omnia vult nobis dare. Exemplū: seruus à Domino conductus in vineam, quandò laborat fideliter, tunc facit opus Domini sui, sicut ipse Dominus ficeret. Nam Dominus per illum facit opera sua, id est, in agro, in vinea, in horreo, &cæt. & donec seruus facit recte & laborat fideliter, tunc dicitur facere opera Domini. Si autem seruus negligeret opus Domini sui, & intenderet ebrietati, luxuriæ, ocio, &c. hæc opera nō essent Domini, sed essent propria opera serui. Et illa non cupit, nec eget Dominus, & seruus dicitur infidelis & incredulus. Sic etiam est cum operib⁹ nostris & Dei. Nos in Baptismo promisimus Deo, qđ velimus illi servire, eiusq; honorem & laudem querere: quandò nūc obedimus Spirituis sancto in eius fructibus, Gal. 5. Fides operatur per charitatē, obedimus Deo in suis preceptis, Exo. 20. & facimus hoc propter gloriam & laudem Dei, nō propter nostrum commodum: Tunc honoramus Deum, & sic cupit Deus opera nostra, & indiget illis, quo honori & laudi suæ satisfiat, & ille nō dehinc nescit.

de honestetur. Si autem fecerimus opera, magis propter ventrem & commodum nostrum, quam laudem Dei, sicut Iudei propter terram sanctam & bona terrae seruabant legem, Deut. 28, tunc facimus nostra opera, id est, propria nostra opera. Sic inquit Christus: Qui plus diligit patrem, & matrem quam me, non est me dignus, Mat. 10. Sic hec vocatur opera Dei, quae si illi in vera fide prestatimur: etiam si illa a nobis sint facta, nihilominus sunt opera Dei, qui ea per nos operatur: si vero utilitatem nostram, id est, ventris nostri comoda spectemus, erunt nostra propria opera, quibus Deus non opus habet. Verum sua opera sunt, quae in nobis operatur per suum Spiritum sanctum, quem a nobis praestari debent, ut illi soli cedant in honorem & laudem: & hactenus opus sunt illi nostra opera, quae per nos operatur.

In eum finem etiam dicit Esa. 64, quod opera nostra, quem solùm sunt opera carnis, sine gratia Dei facta a nobis nostris viribus, sunt immunda, & omnes iustitiae nostrae, quem nostrae propriæ sunt, sunt velut pannus immundus menstruatæ. Sed aliud est de operibus Dei, quem per nos facit. Illa non sunt nostra, licet per nos fiant. Illa purificatur fide, Actorum 15. Et placent Deo propter Christum, id est, ex gratia, sic etiam veretur, lob 9 omnia opera sua, quae ex viribus suis fecit. Non loquitur de illis operibus, quem Deus fecit, nam patientia sua fuit commendata, & iterum impetravit omnia bona, ut ultimè dicitur fuerit, quam a principio, lob ultim Nō sunt ergo sic parvipendenda bona opera gratiæ & Spiritus sancti, quasi Deus omnia reijceret.

*AN LATRO IN CRUCE SINE  
operibus est salvatus sola fide.*

TITVLVS XXVII.

Gg 4 Primò